

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 89. (*Neovidensis* 1805. Nro. 87.)

Ex Campis Elysiis

Sermo Politicus

De pietate populorum tempore calamitatis.

Elysiuni -- Meum. -- Die Martis 19. Nov. 1805 (*Neov.* 29. Oct.)

Sententia:

Pater noster, qui es in coelis etc.

Oratio Dominica.

Populi diversarum regionum, belli calamitatibus pressi; fortiori, vel victori subjecti, itineribus militum, exactiōibus, aliisque similibus tempore belli usitatis miseriis afflicti, & ab altiore fato in hunc statum coniecti, profecto graviter sentiunt tristem partim politicæ, partim localitatis, partim limitum cum suis vicinis communium sortem. — Undique illis impendent mala.

Principio illis obsistimus, omnia regnã jura opponimus; progressu temporis superamur; unicuique persuademus, quantum fieri potest; *inter arma silere leges*, tandem aggredimur proprietatem, potissimum illam, quæ stomacho præbet nutrimentum, & hoc tam

diu durat, donec ab amico, & inimico omnia consumantur, & quisque excusationis loco dicat: — Bellum geritur.

In hoc rerum statu tam populus, quam plebs exponitur cunctis infelicibus, qui inde necessario consequuntur, casibus. Non nisi possessor fundi alit peregrinantem militem. Inimicus, & amicus figunt domicilia sua ruri in domibus, vel campis, at pecuniosus dat tantum hospitium pro rata suæ domus.

Hic violentus status perturbat consuetum alias ordinem omnium incolarum; Miseriæ, & contributiones enervant vires regni, quod bello vexatur, post multas deinde erogationes, afflictiones, diuturni ordinis conversationem succedit defectus rerum omnium; jus stomachi (jus importunum!) urget, & quia homines — potissimum ruri, ita loquendo, exhausti sunt, adveniunt duo domini; utpote miseria, & necessitas, hosque infelices ad eum deducunt statum, ut, quemadmodum commune fert proverbium, discant noscere Jesum Christum.

In hac rerum serie maximi momenti novitas est, calamitosos homines ad Deum confugere, & ut vulgo dici amat, reperere ad crucem; tunc invocant Deum Omnipotentem, & si non sunt obliti, recitant *Pater noster*. Hæc est novitas, cui neque felices, neque infelices quidquam possunt opponere. Cum tamen magna pars hodiernorum Christianorum hanc communem preces fundendi formam vel non ite didicit, vel oblita est,

illaque tantummodo in hac consideratione est novitas, quod in prospera fortuna fuerit neglecta, eapropter in præsentibus belli calamitatibus est veri nominis novitas, ut Pater noster secundum antiquum stylum necessitati temporum applicetur. Quare: *Pater noster, qui es in coelis &c.*

Piæ huic cogitationi potest apposite ad-
jungi sequens fragmentum:

In exercitu 100 millium armatorum com-
muni calculo assumuntur 10 millia, qui ægro-
tant, iste numerus tamen pro ratione epide-
miæ, & conflictuum potest ad viginti, & plu-
ra millia assurgere. Vide *Königl. preuss. Feld-
lazareth-Reglement* de anno 1787. pag. 52.

Pringlius supremus quondam britannici
exercitus in Belgio, & Germania medicus ca-
strensis, & Præses Regiæ Societatis, ait in
suis observationibus de morbis exercitus (in
præfatione pag. 14.) nemo lectorum expecta-
verit, ut inter præcipuas mortalitatis in exer-
citu causas referam institutum, cujus finis est
conservare vitam, videlicet nosocomia; fa-
cio tamen propter impuram eorum auram, &
alia cum iis connexa mala. Ceterum supe-
riore bello (1742. usque 1748.) magni passus
facti sunt ad eorum emendationem. Ad hoc
tempus receptum erat, hoste appropinquante,
ægros pro eorum securitate procul a castris
remove, quo factum, ut multi ante perie-
rint, quam potuissent opera medici uti. Ve-
rum exercitu ad Asciburgum stante, Comes
de Stair, præcipuus meus fautor, qui hunc

diu durat, donec ab amico, & inimico omnia consumantur, & quisque excusationis loco dicat: — Bellum geritur.

In hoc rerum statu tam populus, quam plebs exponitur cunctis infelicibus, qui inde necessario consequuntur, casibus. Non nisi possessor fundi alit peregrinantem militem. Inimicus, & amicus figunt domicilia sua ruri in domibus, vel campis, at pecuniosus dat tantum hospitium pro rata suæ domus.

Hic violentus status perturbat consuetum alias ordinem omnium incolarum; Miseriæ, & contributiones enervant vires regni, quod bello vexatur, post multas dein erogationes, afflictiones, diuturni ordinis conversionem succedit defectus rerum omnium; jus stomachi (jus importunum!) urget, & quia homines — potissimum ruri, ita loquendo, exhausti sunt, adveniunt duo domini; utpote miseria, & necessitas, hosque infelices ad eum deducunt statum, ut, quemadmodum commune fert proverbium, discant noscere Jesum Christum.

In hac rerum serie maximi momenti novitas est, calamitosos homines ad Deum confugere, & ut vulgo dici amat, reperere ad crucem; tunc invocant Deum Omnipotentem, & si non sunt obliti, recitant *Pater noster*. Hæc est novitas, cui neque felices, neque infelices quidquam possunt opponere. Cum tamen magna pars hodiernorum Christianorum hanc communem preces fundendi formam vel non rite didicit, vel oblita est,

illaque tantummodo in hac consideratione est novitas, quod in prospera fortuna fuerit neglecta, ea propter in præsentibus belli calamitatibus est veri nominis novitas, ut Pater noster secundum antiquum styllum necessitati temporum applicetur. Quare: *Pater noster, qui es in coelis &c.*

Piæ huic cogitationi potest apposite ad-
jungi sequens fragmentum:

In exercitu 100 millium armatorum communi calculo assumuntur 10 millia, qui ægrotant, iste numerus tamen pro ratione epidemiæ, & conflictuum potest ad viginti, & plura millia assurgere. Vide *Königl. preuss. Feld-lazareth-Reglement* de anno 1787. pag. 52.

Pringlius supremus quondam brittannici exercitus in Belgio, & Germania medicus castrensis, & Præses Regiæ Societatis, ait in suis observationibus de morbis exercitus (in præfatione pag. 14.) nemo lectorum expectaverit, ut inter præcipuas mortalitatis in exercitu causas referam institutum, cujus finis est conservare vitam, videlicet nosocomia; facio tamen propter impuram eorum auram, & alia cum iis connexa mala. Ceterum superiore bello (1742. usque 1748.) magni passus facti sunt ad eorum emendationem. Ad hoc tempus receptum erat, hoste appropinquante, ægros pro eorum securitate procul a castris remove, quo factum, ut multi ante perierint, quam potuissent opera medici uti. Verum exercitu ad Asciburgum stante, Comes de Stair, præcipuus meus fautor, qui hunc

errorem probe noverat, proposuit Duci de Noailles, ab humanitate notissimo viro, ut nosocomia utriusque partis pro asyilis ægrotorum habeantur. Propositioni huic assensit gallicus Generalis cum voluptate, datamque fidem prima occasione rite implevit. Cum enim post pugnam ad Dettingam commissam, nosocomium nostrum Fechenheimii, in pago ad Mœnum, procul a castris distaret, & Dux de Noailles necessarium esse judicaret mittere quasdam legiones ad pagum ex adversa ripa situm, curavit ægrotis (ne metu percellantur) significari, se scire ibi esse Anglorum xenodochium, & ideo suis copiis diserte mandavisse, ne ulla illis fiat molestia. Hæc conventio toto tempore belli fuit sancte observata; & licet dein neglecta sit, sperare tamen licet, ut bellantes futuris occasionibus hoc exemplum sequantur.

Castrensis medicus Donaldus Monro in-
 quiebat: salutare foret, initio statim unius-
 cujusque belli inire contractum, ut Nosoco-
 mia tanquam loca sacra spectentur, defen-
 danturque, quemadmodum A. 1743. fecerunt
 Anglicus Dux Comes de Stairs, & gallicarum
 copiarum Ductor, Dux de Noailles.

A. 1794, in decembri post peractum ad
 fluvium Vahalim prælium, in quo maximi
 animi Generalis de Busch vitam amisit, vidi
 multos vulneratos curribus impositos Arenam
 cum devehî, & sequenti die summo mane,
 sæva, & frigidissima tempestate, per asper-
 rimas, & gelu concretas vias ulterius Does-

burgum in nosocomium transportari — & dolorem hausi acerbissimum.

Pro juribus defendendis, & libertate, pro patria, & domesticis militare, atque in conflictu vita privari non metuit vir.

At eundem subinde sollicitum facit cogitatio: graviter saucio, misere habito, post terribiles cruciatus vel mutilo corpore incendiandum, vel plane in xenodochio moriendum esse.

Et quæ vexatio potest esse horribilior, & magis mortifera, quam gravibus vulneribus affectos, vel integra nosocomia plaustis imponere, in vento, & adversa aëria constitutione, calido, & frigido tempore, per pessimas vias ad plura milliaria de loco in locum, de xenodochio in aliud transponere securitatis causa?

Et quis dubitabit amplius, bellum, in quo nulla securitas vulneratis, esse fœdissimum monstrum!

Novi equidem, plures adesse rationes, ob quas humanissimi etiam Duces talem contractum tempore belli nondum iniverunt.

Præcipuæ sunt:

1) Infinita conjunctio, & implicatio exercituum, & belli, item celerissimi motus immensæ multitudinis videntur nullum admittere ordinem, minime vero accuratissimum, sola etenim victoria intenditur.

2) Varii defectus nosocomiorum: quod medici pro merito non æstimentur, neque debita referant præmia; quod de copia ap-

torum medicorum tempore pacis, & belli nulla sit cura; quod non omnia, quæ sanitatem concernunt militum, in optimo sint statu, quod forte in nullo exercitu tam numerosi habeantur habiles medici, ut ægroti, & vulnerati possent in uno, eodemque loco subsistere, & sufficientibus medicis, medicamentis, ac aliis necessariis rebus provideri.

3) Difficultas procurandi alimenta nosocomiis longe a castris dissitis.

4) Sollicitudo, ne a morbis, & vulneribus relevati iterum ad sua vexilla convalescant.

Prima ratio est oppido falsa. Ipsa rerum implicatio, & celerrimi motus exigunt summum ordinem, ne confusio oriatur, sed ut victoria reportetur.

Negotium nosocomiorum in ditioribus Austriacis, & Borussicis per insignia instituta in dies perficitur; sed etiam fieri potest in penuria mediorum, ita se offerente occasione, ut in certo loco defixa xenodochia medicis loci administranda tradantur, & concredantur.

Administratio alimentorum ad remota, parva, & dispersa nosocomia potest facili negotio per initam conventionem ordinari.

De reditu possunt aptæ fieri dispositiones; sed etiamsi pristinae valetudini restituti non reverterentur, certe meticolosi erant, nec possunt in comparisonem venire cum

decies forte majore numero eorum, qui per translationem affliguntur, & interimuntur.

Hoc autem, quod exercitui A periculum sit, promota ulterius militia a tergo relinquere nosocomium exercitus B., adeoque hostem, non meretur responsum.

Quilibet exercitus habebit multa parva, in pluribus locis collocata nosocomia, quod salutare est; nihil enim turpius, & propter immunditiam nihil magis nocivum, quam magna xenodochia.

Quod sæpe nonnulli infirmi in translatione ex nosocomio in liberam auram melius valeant, quam prius in nosocomio, significat dedecus nosocomii, ejusque pestiferam auram, & squalorem declarare.

Extra omne dubium positum est, multa parva, stabilia nosocomia multo minus constare, &, quod majoris adhuc considerationis est, pauciores labores, & moras facessere, atque magna, quæ in multis centenis curribus jam huc, jam illuc transferenda sunt.

Cum omnis, etiam victoriosus Dux de receptu faciat dispositiones, ejusque incommoda per translationem xenodochiorum crescant in immensum, post infelicem enim pugnam nosocomium plaustris imponere, & cum eo in multitudine fugientium progredi, est summa miseria. Ad easdem itaque dispositiones pertinet statim ab initio belli inre conventionem de sanctimonia nosocomiorum,

Resolutio Problematis Nro. 75. propositi.

Rata matris sit $= x$, cujuslibet filii $= y$,
 & filia $= z$. Hinc secundum primam con-
 ditionem $x : y = 5 : 7$, seu $x = \frac{5y}{7}$; secundum
 alteram conditionem $z : x = 5 : x$; unde $x =$
 $\frac{3z}{5}$. Porro, cum duo fuerint filii, $x + 2y + z$
 $= 450$. Comparando x inter se prodit $\frac{5y = 3z}{7 \quad 5}$;
 unde $z = \frac{25y}{21}$. Substituendo x & z in ultima
 æquatione, est $5y + 2y + 25y = 450$. Hinc $y =$
 $115\frac{10}{41} =$ ratæ cujuslibet filii, consequenter
 $z = 137\frac{5}{41} =$ ratæ filia, & demum $x = 82\frac{5}{41} =$
 ratæ matris.

Isacus Schuster,

Francofurtensis tabellarii filius.

Hoc problema accurate resolverunt: Be-
 nedictus Losy de Losenau in Gallicia, Fran-
 ciscus Rivet Monachii, M. S. Levy Manhei-
 mii, G. H. Ehler Offenbachii, & E. S. Fran-
 cofurti.

*In eadem hac Officina Belnayana sequentes,
 praeter complures alios, libri venales pro-
 stant :*

Tavaszi Virágok. 1805-re. Szedte B. I. Po-
 sonyban 1805. 8-vo 18 kr.

Epistolæ Procerum Regni Hungariæ, quas
 Georgius Pray collegit, in 4-to 1 fl. 45 xr.